

1
D 229.

LINEAMENTA
COMMENTATIONIS ÆSTHETICÆ
DE TURPI

QUAE

VENIA AMPL. FAC. PHIL. UPSAL.

P. P.

MAG. CAROLUS JULIUS LÉNSTRÖM

S. S. TH. C. STIP. OXENSTI.

ET

CAROLUS FREDERICUS SJÖSTRÖM

Gestrício-Helsingi.

IN AUDIT. GUSTAV. DIE XXI OCT. MDCCCXXXV.

H. A. M. S.

P. I.

UPSALIÆ

EXCUDEBANT REGIÆ ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

5

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 311

1950

KLÄDESKRAMHANDLAREN

HÖGÄDLE

HERR ERIC WESTERBERG

OCH

HÖGÄDLA

FRU ANNA M. WESTERBERG

född CORNELIUS

med tacksamhet och vördnad

tillegnad

af

K. FR. SJÖSTRÖM.

Den Guldaſte Moder

af

Sonens kärlek.

LINEAMENTA COMMENTATIONIS ÆSTHETICÆ
DE TURPI ¹⁾.

Originem ingeniumque nativum Turpitudinis rei æstheticæ cultores in institutionibus suis leviter tantum signi-

¹⁾ Romani id, quod apud Græcos sonat *αισχρον* et apud nos "*defula*", *turpe* appellarunt. Significatio hujus vocis ethica magis, quam æsthetica videri potest; sed et ipsa Boni Pulchrique nativa necessitudo (ob quam necessitudinem Græci numquam plane distinxerunt inter *καλον* et *αγαθον*, sed summum et ethicum et æstheticum simul *καλον καγαθον* apellarunt) et auctoritas scriptorum, vocem hanc æsthetice usurpari voluerunt. Aliæ quidem sunt voces latinæ, quæ turpe istud exprimere videantur, ut *deforme*, *informe*, *indecorum*, *foedum tetrumque*; sed genuino Turpitudinis conceptui harum vocum nulla respondet. Sunt quidem omnia turpia deformia; sed aliquid superaddi oportet, si plena Turpitudinis idea significata erit. *Informe*, ut forma carens, quiddam neque empiricæ neque æstheticæ contemplationi existit. *Indecorum* est quidvis contra *morem* communiter usitatum, non quod contra ideam Pulchritudinis pugnet. *Foedum* vel *tetrum*, præterquam quod universam Turpitudinis vim naturamque non exprimit, subjectivæ quo-

ficarunt, vel prorsus omiserunt ²⁾. Est primus SOLGERUS, qui definitionem quandam Turpitudinis periclitatus

dammodo est significationis. Sed hunc eundem in spectatoribus excitatum affectum significat etiam *Turpe*; quia *pudor*, de quo infra mentionem faciemus, cum omni Turpitudinis contemperatione conjunctus est aut saltem conjunctus esse debet. Vernacula vox »ful« secundum IHRE (Glossarium Sviogothicum 1769 p. 613) significat deforme, tetrum — de cujus etymologia ita argumentatur: Omnes Gothicæ dialecti et linguæ, a Germanicis derivatæ, similem habent vocem, ut Angli Saxones, qui dicunt *ful*, Angli *foul*, Germani *faul* (proprie pigris, quia quæ segnia sunt facile putrescunt, et tetra, turpia sunt). IHRE verbum latinum *polluo*, ex Græco *φολυειν* vel *μολυειν*, originem esse hujus vocis conjecit, cui conjecturæ nos addimus hebraicum *הִסְתֵּי* (ex Arabum *هَسَن*), significans abscondere se, tardum esse (vide GESSENI Hebr. och Chald. HandLexicon. Ups. 1829. p. 665). Nostra vox »stygg«, turpitudinis gradum vel summum exprimens, Græcorum verbo *συγειν* (abhorrere) haud dissimilis est. De Græcorum voce *αισχρον* ita disserit SCAPULA (Lexic. Basil. Ed. Ult. p. 85) »deducitur ex α priv. et *ισχω*, ut sit quasi quod quis habere nolit.« Latus vero conjecturarum errorumque campus apertus foret, si vagæ vocum similitudini fides facienda esset; quod rectissime, ut cetera omnia, innuit TÖRNEROS (*Svea* XIV. N. II. p. 314).

²⁾ Longam scriptorum seriem citare possemus, qui nomen quidem Turpitudinis nominarunt, naturam autem ejusdem non explicarunt. Omnes, qui ante SOLGERUM definitionem Pulchritudinis nobis reliquerunt, in ea definitione etiam Turpitudinem, quamvis *negative*, innuerunt. Vanum tamen esset officium, definitionem, quam ipsi numquam dederunt, Turpitudinis, utpote ex negatione definitionum eorundem Pulchritudinis institutam, illis adscribendi. Sic LESSINGIUS nonnulla

est; sed materiam hancce una tantum pagina absolvit ³⁾.
 Quem secutus WEISSIUS, genesin, naturam generaque

de Turpitudine confabulatus est (in "Laokoon oder über die Grenzen der Malerey und Poesie". Ups. Bruz. p. 225-253); sed in operibus ejus æstheticis non minus heic, quam alibi, fluctuationem, huic ævo communem, inter Empirismum et Rationalismum, defectumque principii vere speculativi, deprehendimus. Præterea quidquid, si nonnulla LESSINGII et WINKELMANNII acute dicta exceperimus, ante KANTIUM de natura ipsius Pulchritudinis rerum æstheticarum cultores disseruerint, id maximam partem nostris temporibus exile vileque habetur. Mediocris ille SULZERUS (Allgemeine Theorie der Schönen Künste zw. Ausg. Lipsiæ 1794 4:o) aliquid de Turpitudine natus est (IV. Th. 320, 321, 619 etc.); nullus tamen inscribitur articulus in hocce opere, infandæ molis, universam Æstheticæ disciplinam usque ad se auctorem comprehensuro, "*Das Hässliche*". Negare tamen non possumus, in ista disquisitione et similibus aliis ante-Kantianis nonnulla, empirica scilicet et historica, indagata esse, quæ scriptoribus sequentibus profuerunt. In genere tamen tales conglutinationes etiam post Kantium (qualis quæ in manibus nostris est: Versuch einer Aesthetik für *Liebhaber* (!!!) von C.W. SNELL. Giessen. zw. Aug. anno 1828) in eo solo fructuosæ sunt, quod negative admovent, prorsus de philosophia Pulchri actum esse, si sanior philosophandi ratio ejusdem fundamenta non jecerint. Melius BURKE, quamvis scholæ physiologicæ adstipulatus sit, de Turpitudine in op. laud: *A philosophical inquiry into the Origin of our ideas of the sublime and Beautiful*. Bas. 1792. p. 192) ita commentatus est: »I imagine it (*ugliness*) to be in all respects the opposite to those qualities, which we have laid down for the

diversa Turpitudinis, quanta scilicet philosopho Hegelice educato licuit perspicuitate, diffusius enucleavit ⁴). In

constituents of beauty. But though ugliness be the opposite to beauty, it is possible that a thing may be very ugly with any proportions, and with a perfect fitness to any uses. Ugliness I imagine likewise to be consistent enough with a idea of the sublime. But I would by no means insinuate that ugliness of itself is a sublime idea, unless united with such qualities excite a strong terror». KANTII definitio sublimitatis, non rectissima, SCHILLERUM, ejus in doctrina Æsthetica discipulum, eo duxit, ut cognationem quandam sublimitatis dynamicæ cum Turpitudine (Sämmtl. Werke. Haag 1830. Ueber das Erhabene p. 1303-8) recte asseruerit. Huc pertinent etiam SCHELLINGII verba ponderosa (Ueber das Wesen der menschl. Freyheit. Ups. 1828. p. 116). Sed hæc hactenus.

3) SOLGERUS, qui ad saniora judicia rem revocavit, ideoque pater speculationis vere æstheticæ summo jure nuncupari potest, proh dolor! non nisi leviter Turpitudinis mentionem fecit in »Vorlesungen über Æsthetik, herausgeg. von HEYSE. Lips 1829 (Obscuritatis in nonnullis locis, crimen his prælectionibus datum, mancis editoris manuscriptis, minime auctori tribuendum est). Verba reperiuntur omnia de Turpitudine p. 101., collato dialogo Erwin appellato (1 Th. p. 248-250). Carptim temporis nostri perversum in poesi artibusque tenorem redarguit in operibus posthumis, quæ legantur dignissimis nec non jucundissimis (SOLGER'S Nachgelassene Schriften herausg. von Tieck und Fr. Raumer. Lipsiæ 1826 2 T. 8:0).

4) WEISSE: System der Aesthetik als Wissenschaft von der Idee der Schönheit. Lips. 1830. (1 Th. 175-207., II Th.

tanta omnium, qui ante hos de rebus æstheticis aliquid exaraverunt, negligentia in Turpitudine definienda atque explicanda, præcipua laus debetur Nostratibus EHRENSVÅRD, HÖIJER, ATTERBOM et imprimis TÖRNEROS, ut qui hanc etiam materiam acumine ingenii tetigerint, quam Germani, universæ philosophiæ magistri, ambobus supradictis rei æstheticæ principibus exceptis, silentio præterierunt ⁵⁾. Caussæ præcipuæ hujus omissionis duæ

413-18, 427, 433-55), cujus principia de Turpitudine, paucis comprehensa, exponeremus, si fines scriptionis nostræ et locus hujus articuli in systemate ejusdem necessarius, arctissimoque cum eo vinculo copulatus, sivissent.

5) EHRENSVÅRD, propheta (sicut in Germania WINKELMANN) ævi, quod nunc illucescit, disciplinæ æstheticæ altiora spirantis, divino quasi ingenii impetu multa de his rebus acutissime prævidit. Sic *turpe* (*det stygga*), cui proximum statuit «*det fula*», alicubi in opere suo *De Sköna Konsternas Philosophi* (cujus ideas in formam artis redegit ATTERBOM in *Phosphoro* (1813. p. 546-560): »en i gestalt fixerad förstörelse, förebådande varelsens slut.« BENJAMIN HÖIJER, omnes suos cœvos in his disquisitionibus superaus, rei que æstheticæ in patria pater, naturam Turpitudinis non ita explicuit, quam significavit. Turpitudinem in arte Moderna (vide: *Om Skön Konst hos de Nyare*. Samlade Skrifter. Stockholm 1815. I T. p. 107-248 et continuationem in 2 Tom. p. 245 et seqq) indagavit. Præeunte ATTERBOM (*Svea* IV. Fascic. 1821, p. 200; XIII, 1831 p. 102-104. Samlade Skrifter I. p. 108), TÖRNEROS (*Svea* XIV. N. II. 307-395) tandem vim Turpitudinis, et quidem

reperiuntur: una, immaturitas usque ad nostram memoriam disciplinæ æstheticæ; altera, perversitas jam pridem usitata in negativitate definienda.

Centesimus vix volvitur annus a primis BAUMGARTII conatibus viam aperiendi, qua natura Pulchritudinis, ut specialius meditationis philosophicæ objectum, theoretice pervestigaretur; et abhinc ea, quam *Æstheticen* appellamus, disciplina, ut propria scilicet, initium duxit ⁶⁾. Posthac autem inter diversissima commenta fluctuavit, nondum certa sede errorem finiens. Fatis universæ philosophiæ, ut pars ejusdem, obnoxia, Formalismo scholæ Wolfianæ, cui nominis originem debet, adstipulari

lucidius, quam ipse WEISSIUS, pervestigavit; qua delineatione, si absoluta fuerit, excellentior de his rebus nulla forsitan erit conscripta. Turpitudinem in arte Moderna et quidem novissima, ab HÖIJERO significatam, ille in Dissertatione: *De Finibus Artium Ingenuarum* 1853. Ups. retractavit.

⁶⁾ *Festum sæculare* cultores artium litterarumque ingenuarum anno vertente concelebrare possent, ut quo disciplina æsthetica centum abhinc annos existere coeperit. ALEXANDER GODOFRIDUS BAUMGARTEN enim, auctor nominis disciplinæ disciplinæque ipsius, anno 1755 Halis Saxorum dissertationem quandam exaravit, quæ inscribitur: *De nonnullis ad poema pertinentibus*, quæ primum incitamentum dedit ad scientificam *Æstheticæ* tractationem. Hanc delineationem secuta est altera an. 1750, quæ audivit: *Æsthetica, philosophicæ pars*. Sect. I.

coacta est. Vix enervato hocce in philosophando tenore, in abjectissimum Empirismum, Sensualismum, falsamque vel naturæ vel antiquorum Imitationem repente delapsa est. Ut corruptam atque deperditam puellam hancce disciplinam adoptavit KANTIUS, suoque ludo litterario commisit. Quo facto in bonam frugem redire coacta est. Quod hæc emendatio minus prospere evaserit, id partim negativo philosophiæ Criticæ tenori, partim fluctuationi nondum finitæ crimini dandum est; quamvis non infitiandum sit, sagacitati Kantianæ magna ex parte deberi egregios illos labores, quibus primus SCHILLERUS, dein vero ac præcipue fratres A. W. SCHLEGEL et FR. SCHLEGEL, a Fichtianismo haud ita alienati, universam tum criticen, tum historiam Poeseos artiumque pulchrarum reformaverunt. SCHELLINGIO demum cunctis philosophiæ disciplinis mentem sublimiorem inspirante, hæc etiam ad altiora tendere incepit; discipulique, imprimis ASTIUS, eam pannis novis late splendentibus, a magistro mutuatis, amixerunt. Ætate autem decolorati sunt panni; ipsa tamen sub his pannis in melius mutata est. Pari modo phaleræ subtilitatum, quibus, ab HEGELIO sumtis, acutissimus novissimi temporis æstheticus WEISSIUS eam induit, brevi perituræ; verus ab hujus disquisitionibus profectus fructus remanebit. Plurima, sine dubio, ingeniosissimo hujus disciplinæ cultori SOLGERO deberemus, si ei ætas provector, a Fatis, divinitus scriptis, concessa fuisset. Merita tamen ejusdem de re æsthetica stabilienda jamjam immortalia sunt. Theosophico ejus in Pantheismum (ut videtur) ver-

gentis errore excepto, antesignanus humanissimus, atque adeo maximus, speculationis vere æstheticæ certo celebratur. In tanta igitur disciplinæ fluctuatione, ante SOLGERUM WEISSIUMQUE mentio de natura Turpitudinis explicanda omnino nulla fieri potuit 7).

Altera causa est perversa ratio in *negativitate* definienda. In disciplinis enim philosophicis jampridem hæc assertio usitata est, negativum illud nullam activam in se habere vim, sed esse vel merum positivi ipsius contrarium, et idem inefficax, vel attributorum in rebus positivis absentiam; quæ, attributa, si adessent, absolutum perfectumque positivi conceptum efficere. Quo factum

7) Brevis simam, sed principiis philosophicis nixam, adumbrationem historiæ philosophiæ de Pulchro reperies in SOLGERI Vorlesung. p. 11-46; enumerationem solam manualium æstheticorum amplius centum, usque ad auctoris tempus exaratorum, fecit PÖLITZ in opere isto Kantianismum redolente: *Die Æsthetik für gebildete Leser* Lips. 1807. p. 55-106; brevius FICKER (*Æsthetik oder Lehre vom Schönen und der Kunst*. Wien 1830, Heubner) p. 8-25. Manuale FICKERI melius, methodo scilicet historica, esse videtur. In futura philosophiæ de Pulchro historia maxime cavendum, ne »*constructio*« sic dicta »*historiæ*« etiam hic adhibeatur. Jamjam hanc viam ingressus est GRUBER (*Wörterbuch zum Behuf der Æsthetik*, Weim. 1810. I Th. II Tom. p. 117): ubi ratio de Pulchro philosophandi in *subjectivam*, *objectivam* et *subjective-objectivam* dividitur.